



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 7. Quænam observanda sunt circa Stipendum Missarum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

nem Christi, nemo sine mortali, præter Sacerdotem & Diaconum, potest ea contingere, sine absoluta necessitate, ex c. 26. *dist. 23.* quia res est gravissima. Iisdem non licet Corporalia & Purificatoria tangere, antequam à Sacerdote vel Diacono laventur, ex c. 40. *de cons. dist. 1.* Quia Corpus vel Sanguinem Christi contingunt. Omnibus autem Laicis licet alias vestes & pallas benedictas tangere cum debitâ reverentiâ; quia Eucharistiam immediate non contingunt, nec sacro Chrismate unctione sunt.

Q. 7. *Quænam observanda sunt circa stipendium Missarum?*

Resp. Sequentia. 1. Licet stipendum iustum pro Missa accipere, non quidem ut pretium, quod esset Simoniacum, sed in sustentationem; nam æquum est, ut qui in commodum alterius occupatus est, ab eo sustentetur, habitâ ratione temporis quo sic oculatur, & statûs occupati. Stipendum autem iustum est illud, quod lege vel consuetudine approbatâ constitutum est; nam licet stipendum illud non sit verè pretium, tamen servat proportionem pretii, quatenus in eo servanda est ratio justitiae. Sicut ergo illud est iustum pretium, quod est lege taxatum, vel communiter consuetudine receptum: ita etiam stipendum. Quare qui amplius exigit, vel accipit, tenetur restituere; cum ille excessus non sit debitus,

U 4

nec

nec sponte ac liberaliter dari censeatur. Hinc si quis amplius ultrò offerat ex ignorantia justi stipendii, monendum est; si verò taxationem noverit, censetur excessum liberaliter dare.

2. Cum datur stipendium ut celebrentur Missæ in tali numero, in tali loco vel tempore, pro tali causa, &c. hæc omnia ex justitia servari debent: nam dans non vult transferre dominium stipendii, nisi sub hac conditione; & aliter accipiens hoc ipso se obligat ad id omnè quod petitur. Hinc peccat graviter Sacerdos si diu differat: nam interea magno spirituali fructu injustè privat eos, quorum debitor est. Imò tenetur ad restitutionem, si ideò Missa non profuerit ad specialem intentionem ejus, qui stipem dedit, v. g. ad aliquem successum, cuius occasio ante celebrationem perierit; nam defraudavit intentionem ob quam stipendium datum est. Idcirco non ei licet plura stipendia accipere pro totidem Missis, quas prævidet non posse celebrari, nisi post longum tempus, si offerens expressè in id non consentiat: nam alioqui sèpè contingere illas non posse amplius dici propter causam ab offerente intentam, v. g. pro infirmo, qui ante morietur, pro vincendâ tentatione, pro felici exitu negotii, pro aliquo alio beneficio, quod postea obtineri non poterit.

3. Non licet anticipè dicere Missam pro iis, qui sibi primùm offerent stipendium. Nam

1. Id est contra usum Ecclesiæ, & prohibitum à

S. Con-

Hinc
justi
nem
e.
ntur
ore,
rvari
omi-
x al,
mne
erdos
ual
est.
non
qui
cu-
nam
ium
pen-
ævi-
em-
tiat:
osse
e in-
tur.
ne-
stea
pro
am
mà
on-

S. Congregatione Cardinalium auctoritate
Pauli V. 2. Dans stipendium intendit ut post
datum Missa sibi applicetur : tum quia sæpè
aliás non posset obtineri finis intentus, ut cum
petitur in remissionem peccatorum posteà
commissorum : tum ut melius se disponat ad
effectum Sacrificii accipiendum. 3. Deus si-
cut neque punit neque remunerat anticipatè
ex his quæ prævidet futura : ita nec confert
anticipatè effectum Sacramenti, aut Sacri-
ficii.

4. Qui stipendium majus solito pro Missis
acepit, tenetur integrum dâre iis, quibus
Missas celebrandas committit, nec potest par-
tem sibi retinere. Nam 1. Sine justo titulo
partem illam retineret: nam non ei gratis ac
liberaliter donata est; sed intentio dantis est,
ut celebrans totum stipendium recipiat; cui
proinde totum debetur. Nec accipiens com-
paravit illius stipendi dominium, nisi cum ob-
ligatione, ut vel ipsem et sacrificet, vel alteri
sacrificaturo pro sustentationis stipendium
dante largiatur. 2. Hoc sapit turpe lucrum.
3. Urbanus VIII. id expressè vetuit decreto
Cum sæpe & Alex. VII. damnavit hanc proposit.
Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ
celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, col-
lato illi minori stipendio, aliâ parte stipendi sibi
retendâ.

5. Non licet pro una Missa accipere plura
stipendia, nec pluribus acceptis licet unâ Missâ

U § fatis-

satisfacere: nam qui dant stipendia, intendunt tot pro se fieri, & specialiter sibi applicari Sacrificia, & solùm sub hac tacita conditione dant. Ideò Alex. VII. damnavit hanc propos. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendum accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam juramento firmatâ danti stipendum, quod pro nullo alio offeram.* Quamvis enim unius Missæ valor sit infinitus secundūm rem, quām continet, nempe Christum & ejus merita, est tamen limitatus secundūm applicationem. Christi enim merita quamvis infinita non applicantur secundūm sui infinitatem, sed finito modo, quem Deus definivit. Imò qui stipendia diversa singula justo minora sive ab uno, sive à pluribus accepit pro pluribus Missis, non potest illa ad justum pretium reducere, & per pauciora Sacra satisfacere: nam hoc ipso quod acceptat stipendia minora, censetur jure suo cedere, & reliquum condonare; tacitèque promittit se totidem Sacra dicturum. At gravis est obligatio servandi pacta: alias rueret fides in societate humana. Unde S. Congregatio auctoritate Urbani VIII. sibi specialiter attributa præcepit Sacerdotibus, ut tot Missas pro pluribus stipendiis incongruis celebrent, quot pro illis præscriptæ sunt, ita ut alioquin suæ obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restituitionem teneantur, in Bullario Tom. IV. p. 88.

quia

quia nempe stipendium sub hâc conditione ac
onere datum & acceptum est.

6. Qui ab aliquo stipendium accepit, non ei
licet ab altero quidquam accipere, ut ei appli-
cat in eâdem Missa eam fructus partem, quæ
ipsi Sacerdoti contingit. Nam 1. Hoc repu-
gnat praxi Ecclesiæ, & sensui ac intentioni fi-
delium. 2. Hoc ipso quod Sacri applicatio
alteri debita est ex justitiâ, ei debiti sunt omnes
fructus, quorum est capax. 3. Fructus ille
nequit alteri applicari. 4. Alexander VII.
damnavit hanc propos. *Duplicatum stipendi-
um potest Sacerdos pro eâdem Missa licite accipe-
re, applicando petenti partem etiam specialissimam
fructus ipsius celebranti correspondentem; idque
post decretum, Urbani VIII.*

7. S. Congregatio confirmante Urbano
VIII. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenen-
tur Missas celebrare, ratione Beneficii, seu Capellæ,
Legati, aut Salarii, si Eleemosynas pro aliis etiam
Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem
Missâ utrique obligationi satisfacere.* In Bulla-
rio Tom. IV. p. 91. Etverò alias acciperetur
duplicatum stipendium pro una & eademi
Missâ, nam fructus Beneficii habent rationem
stipendii. Hinc Canonici & Capellani tenen-
tur applicare fundatori soli Missas, quas ex
fundatione tenentur celebrare: talis quippe
fuit intentio fundatoris, etiamsi eam non ex-
presserit; nam hæc est praxis communis, quæ
est optima fundationum sicut legum inter-
pres;

pres; & ubi aliud non constat præsumptio est pro fundatore; in dubio enim quisque præsumitur sibi optimè consulere voluisse.

8. S. Congregatio apud Fagnan. declaravit eum, qui accepit stipendium ad celebrandam Missam pro mortuo, & aliud stipendium ad celebrandum pro alio, v. g. infirmo, non satisfacere unicâ Missa utrique obligationi, applicando fructum satisfactorium mortuo & impenetratorium infirmo. Et verò cum Missa pro aliquo celebrari debet, ei totus fructus, cuius est capax, applicari debet. Fructus autem impenetratorius prodest mortuis; nam pœnæ peccatis debitæ remitti possunt, non solum per modum seu viam satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis.

9. Obligatus ad celebrandum in tali Ecclesia vel altari peccat mortaliter, si sine iusta & gravi causa alibi celebret: quia in re gravi defraudat fundatorem vel dantem stipendium. Quòd si Capellanus impediatur à celebrando per paucos dies, juxta multos non tenetur supplere per alium, vel compensare; quia non præsumitur hanc fuisse mentem fundatoris, cum nequidem famulis ob eam causam stipendium minui soleat. Secùs, si pluribus diebus sit impeditus.

10. Beneficiarius non potest propriâ auctoritate imminuere numerum Missarum olim constitutum, etiamsi ob imminutionem reddituum, vel valoris pecuniae non accipiatur sti-

pen-

pendium sufficiens. Sed recurrentum est ad Episcopum ex Trid. sess. 25. c. 4. immo ad Papam ex decreto Urbani VIII. ubi illud viget.

Q. 8. Quænam observanda circa Ecclesiæ pollutionem, reconciliationem & execrationem?

Resp. I. Est mortale celebrare Missam, vel Officia divina, vel mortuum sepelire in Ecclesia polluta nec reconciliata, vel interdicta, vel execrata: quia est contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi ad Religionem pertinente. Nulla tamen ideo contrahitur Censura, vel irregularitas, cum nulla sit in jure expressa. Hinc si Sacerdote celebrante Ecclesia notoriè polluitur, tenetur intermittere Missam, si nondum Canonem inchoavit: nam hoc inchoato debet perfici Missa. Ita Missale Rom. jam enim posita est proxima præparatio ad consecrationem,

Resp. II. Ecclesia polluitur seu violatur, ita ut indigeat reconciliatione. 1. Per injuriosam humani Sanguinis effusionem, quæ vox copiam Sanguinis indicat, c. ult. de consec. Eccles. & c. un. eod. Tit. in 6.

3. Per homicidium voluntarium & injuriosum, licet factum sine effusa Sanguine, ut per venenum, strangulationem, &c. cap. 4. de consecrat. & can. 19. de consec. dist. 1. unde non polluitur Ecclesia ob inculpabilem occisionem, ut si fiat ab homine mente capto. Requiri-